

Series Alphabetica Dissertatio  
 num. hujus voluminis.

**A.**

De Aequitate.	no: .2.
Asylorum jure.	.12.
Alea.	.23.
Ad L. Rhod. de jactu.	.36.

**B.**

Bürgerrecht.	6.
--------------	----

**C.**

De Communi Doctorum opinioe.	1.
Civitatis jure.	.6.
Calculi Errore.	.16.
Constituto Possessorio.	.25.
Contractu Mobadri.	.26.
Conditione Indebiti.	.27.
Conductore expellendo.	.29.
Culpa.	.32. 33.
Concessione Salinarum.	37.
Contractuum prestationibus.	32b.

**D.**

De D. communi opinione.	1.
Damnus.	31.

**E.**

De Errore Calculi	.16.
Expreso.	.21.
Expellendo conductore	29.

**F.**

De Fideiombus.	no. .18. 19.
Foeminea Tutela.	.13.
Furiosorum jure.	10.

**I. J.**

De jure Virorum.	3.
— Peregrinorum.	4.
— miserabilium.	5.
— civitatis.	6.
— vicinitatis.	7.
— senectutis.	8.
— militum.	9.
— Furiosorum.	10.
— Possidumorum.	11.
— Asylorum.	12.
— Precarie.	36.
— Sepultura.	37.

Indebiti conditione.	27.
Interesse.	.13. 34. 35.
Indemnitas regressu.	35.
Jactu ad L. Rhodiam	36.

**L.**

Ad L. Rhodiam de jactu.	36.
-------------------------	-----

.21.

f. N. D. N. f. C.

DISPUTATIO INAUGURALIS  
JURIDICA

*De*

**EXPRESSO**

*Q U A M*

SACRO-SANCTA TRINITATE  
AUXILIANTE ET PRÆSIDE

*EX*

AUCTORITATE ET DECRETO  
MAGNIFICAE, NOBILIS-  
SIMAE AMPLISSIMAEQUE, IN  
INCLYTA ARGENTORATENSIVM  
UNIVERSITATE FACULTATIS  
JURIDICÆ.

*Pro*

Summis in utroque Jure Honoribus ac privilegiis  
DOCTORALIBUS, ritè ac Legitimè con-  
sequendis.

*Publicæ ac Solenni Eruditorum censura  
submittit*

CHRISTIANUS Breuning/ S.

*Die 11. Mens. Maij*

ARGENTORATI,

Literis Joannis Friderici Spoor.

*Anno M DC. LXV.*

621





V I R O

MAGNIFICO, NOBILISSIMO,  
AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO, EXCEL-  
LENTISSIMO,

DN. IOHANNI  
CHRISTOPHORO

Herolden /


JCto, Reverendissimi, Serenissimi Archi-Episco-  
pi Magdeburgensis, Consiliario Aulico, Ju-  
dicii Criminalis Adfessori  
gravissimo.

*Dn. Mecenati, Evergetæ, Patrono, ac pro-  
motori, perpetuo observantia cultu  
venerando.*

Hanc Inauguralem disputationem,  
in devoti animi tesseram

*submisit & obsequentiſſimè consecrat.*

Christianus Breuning. S.



Q. D. B. V.

PROEMIUM.



Nsignis est illa Regula Jcti Modestini in *l. 195. D. de R. I.* Expressa nocent, non expressa non nocent. cum quâ concordat. *l. 77. D. eod. l. 68. D. de Hered. instit. l. 52. D. de Condit. & Demonst. l. 65. §. 1. de Legat. 1.* quæ Regula sanè non ita simpliciter, & quatenus verba sonant, est intelligenda: scire enim Leges, non hoc est, verba earum tenere, sed vim ac potestatem. *l. 17. D. de LL.* Nam interdum plus operantur expressa quam tacita. Cujac. 23. *observ. 14. in fin.* major enim est vis pignoris expressi, quam taciti: Debitor namquè servum specialiter & expressè obligatum manumittere non potest, potest vero obligatum tacite. *l. pen. D. in quib. caus. pign. tacit. l. 3. Cod. de Serv. pign. dat. manum. l. 44. §. 7. D. de Legat. 1. l. 66. in princ. D. de Furt.* Sic obligatio novatur expressa conventionem, non etiam tacita & præsumpta. *l. ult. Cod. de Novat. §. 3. l. Quib. mod. toll. oblig. conf. l. 7. C. de Condict. ob caus. dat.* Hillig. ad Donell. *l. 16. c. 20. lit. 2. in not.* Sed de iis, quæ contra juris ordinationem & formam exprimuntur

A

muntur

muntur. l. 45. §. f. D. de R. I. & quæ jus adjici non patitur. Tyraq. ad L. Si unquam. 8. vocab. libertis. n. 25. C de Revoc. Donat. Exempla occurrunt in d. l. 77. D. de R. I. Ubi Papinianus scribit. Si acceptum feratur ei, qui sub conditione promisit, ita demum e-  
 gisse aliquid acceptilatio intelligitur, si obligationis conditio extiterit, quæ si verbis nominatim acceptilationis compræhendatur; nullius momenti faciet actum. Actus enim Legitimi, qualis est acceptilatio, expressam diei conditionisve adjectionem repudiant, quoniam præsens factum continent, tacitam autem admittunt. d. l. 77. d. t. Et in l. 52. D. de Condit. & Demonst. Ubi Modestinus dicit; quod conditiones quæ à Testatore, in alterius voluntatem expressè conferuntur, inutiles sint, quæ vero tacitè utiles, & Legatum conditionale efficiunt. Habent itaque hoc loco verba *Expressa, non expressa, nocent & non nocent*, Emphasin, & differentiam significant, inter lubricos hominum effectus errandique facilitatem & immutabilem juris constantiam. Oldendorp. in nov. Explic. Antinom. de Divers. Reg. Iur. pag. m. 273. Quemadmodum autem multa tacitè ex juris interpretatione & fictione valent & profunt, quæ si exprimantur non valent; Sic innumera occurrunt, quæ nisi expressis verbis exprimantur nullum habent effectum. Placuit itaque in præsentis exantlatis nuperrimè in utroque jure Examinibus, obtentaq; in iis pro summis honoribus ac privilegiis DOCTORALIBUS Disputandi sine Præside Licentia, hanc Materiam de Expresso, pro  
 thema-

3.  
thematē inaugurali, strictim saltem pertractare & de-  
libare. Et quoniam hæc Materia per totum Cor-  
pus juris est diffusa, illud præcipuè mihi curæ fuit, ut  
principaliora, & frequentiora saltem attingerem.  
Omnia autem ut eo feliciter succedant Deum T.O.  
Max. calidissimis suspiriis precor, ut per Legitimos  
juris tramites mihi currenti ipse ductor atq; Doctor  
adesse, meque suo Sancto Spiritu erudire gratiosè  
velit.

### *Thesis I.*

Quoniam omnis definitio in jure nostro, juxta effatum Ja-  
voleni in l. 202. & ibi. Philip. Math. n. 4. & Dd. commun. D.  
de R.I. valdè periculosa & difficilis sit, cum propter varias ne-  
gotiorum circumstantias, facili negotio, subverti valeant. d. l.  
202. D.d.t. nolo hic definitionem, secundum Logicorum præ-  
cepta accuratam, sed saltem aliqualem descriptionem, quæ  
naturam ipsius rei depingat & demonstrat, proponere; neque  
enim anxie in exacta definitione tradenda laborare lubet, præ-  
sertim, cum per definitiones nihil in jure mutetur, nec quis-  
quam nimia definiendi curiositate, vel obulum lucretur. Fab.  
§. ex non scripto. n. 5. inf. I. de I.N.G. & C. dico igitur *Expressum est  
illud, quod verbis specialibus & expressis designatur &  
exprimitur suumq; effectum ex verbis habet.* c. inquisito-  
res 16. de Heretic. in 6. Barbof. lib. 5. c. 36. n. 3.

2. Forma Legis specifica consistit in eo, quod expresso De Legib.  
consensu approbatione & suffragiis feratur. l. 9. C. de LL. Welen-  
bec. h. r. n. 5. ibique Bachov. lit. L. vocaturque jus scriptum. §. 3. I.  
de I.N.G. & C. differens à consuetudine, quæ ex tacito consensu  
vim juris habet. §. 9. I. d. t. l. 32. 33. D. de LL. Nobilifs. Dn. Struw.  
Præceptor quondam meus honoratissimus *Syntagm. Jurpr. Ex. 2.  
th. 2. & 19.*

Hinc constat, scripturam non pertinere ad essentiam, ne-  
que ad existentiam Legis. c. 1. de Renunc. in 6. l. 2. §. 1. 3. de O. I. l. 2.  
inf. C. de frum. urb. Constant. 11. 23. Matth. Steph. cent. 1. 19. n. 15. Si-  
chard.

chard, ad Rubr. C. que sit Long. conf. Sed solum ad modum, quo frequentius & commodius Leges expressè sancitæ in notitiam hominum veniunt. Dn. Struv. d. l. Nam & Leges sunt quæ in scripturam non sunt redactæ; ut olim Lacedæmoniorum. §. 10. I. de I. N. G. & C. & Consuetudines in scripturam redactæ Leges non sunt. Vult, ad §. 10. I. d. l. n. 3. Et ex Dionys. Halicarn. Lib. 2. plerasq; Leges Romulum sine scripto tulisse; & Rotam Romanam ita decidisse, absq; Scriptura scilicet Legem constare, constat. Sic hodiè fieri potest, ut Lex aliqua omni ex parte sit validæ, quæ tamen non scripta. l. 1. §. 1. D. de Const. princ. l. 6. C. qui bon. ced. poss. Donell. i. comm. 8. Sichard. ad Rubr. C. Que sit Long. Confu. Sebast. Med. tract. de LL. p. 5. q. 11. n. 6. & seq. vid. tamen Locam. in not. ad §. 3. I. de I. N. G. & C. lit. m.

An autem jus justinianeum, quo hodiè in R. Germanico Imperio utimur, tacito consensu, an expressè aliqua sanctione sit introductum ac receptum, non incommodè hic quaeritur? prioribus enim temporibus, cum in Germania conderentur Academia, dubium nullum est, quin jus istud tacito Imperatorum ac statuum consensu in Academiis paulatim sit receptum, postea autem expressus Imperatorum ac Imperii statuum accessit, etiam consensus. Cum in ordinatione iudicii Cameralis Maximiliano I. imperante ann. 1495. instituti, Assessoribus juramento ipsis præscripto, manifestè injungatur, ut secundum iura communia (nach des Reichs gemeinen Rechten) judicent. vid. Ord. Cam. de Anno 1500. §. Ordnen sehen/verb. nach lauth gemeiner beschriebener Kayf. Rechten. Dn. Struv. Exerc. 2. th. 35. 3. In Legitimatione expressus Legitimandorum requiritur consensus, quoniam inviti non legitimantur. Nam si solum vere jus patriæ potestatis invitæ filiis non permissum est patribus, multò magis per potestatem redigere invitum filium & nolentem, sive per oblationem ad Curiam, sive per instrumentorum celebrationem, sive per aliam quamlibet machinationem, tanquam sortem metuentem paternam, justum non est. Nov. 89. c. 11. pr. §. 1. arg. l. 69. D. de R. I. l. ult. D. de His qui sunt sui vel al. jur.

Legitimati autem per rescriptum Principis, justis liberis extantibus, parenti non succedunt, nisi princeps expressè clausulam

De his qui  
sunt sui  
&c.

5.  
fulam de succedendo adjecerit. Gail. 2. obs. 142. n. 5. & patris  
consensus adsit. Covarruv. part. 2. c. 8. §. 9. n. 7. Molin. tr. 2. D. 174.  
n. 4. 7. Gudel. de jur. noviss. lib. 1. c. 15.

4. Arrogandus in arrogationem expressè consentire *De Adopt.*  
debet. l. 5. D. de Adopt. quod secus est in Adoptione, ubi sufficit *Et Emanc.*  
filium voluntati patris non contradicere. d. l. 5. D. d. t. Dn. Struv.  
Exerc. 3. th. 59. & 61.

Simili modo ad emancipationem requiritur filiorum ex-  
pressus consensus. l. 5. C. de Emancip. Liber. Nov. 39. c. ii. pr. & §. 1.  
vid. th. 3. secus in infantibus, quorum consensus non requiritur  
dict. l. 5. Cod. dict. tit.

5. Si non apparet, quid commissum sit, causæ cogni- *De jurisd.*  
tione delegata, non executio, sed sola causæ cognitio erit dele-  
gata sub qua etiam sententiæ pronuntiatio, nisi aliud ex man-  
dato constet, continetur. Glos. ad L. 15. de Re. Jud. Mynf. 4. obs. 93.  
Gail. 1. obs. 1. n. 52. Dn. Struv. Exerc. 4. th. 44. Althus. Dicvol. lib. 1.  
c. 33. n. 33.

6. Sic citatio, quæ non in se continet (1.) nomen tum judi- *De in juv*  
cis. arg. l. 80. de Jud. tum litigantium, actoris & rei Gail. 1. obs. 49. *voc.*  
n. 1. & obs. 50. n. 1. (2.) causam. c. 2. extr. de dilat. (an autem inser-  
tio causæ sit de substantia Citationis. vid. Mynf. cent. 5. obs. 85.  
n. 3. 4. 5.) (3.) Locum & diem. l. 5. 8. C. Quemadm. & quand. jud. l. 5.  
§. 1. D. Quod vi aut Clam. Dn. Struv. Ex. 5. th. ii. nullius est mo-  
menti. Gail. 1. obs. 52.

7. Pactum Fidejussoris non prodest Reo. l. 23. 24. D. de Depact.  
pact. nisi expressè convenerit, ne à Reo quoque petatur, tunc  
enim datur ex æquitate Reo exceptio doli. l. 25. §. f. l. 26. junct.  
l. 10. §. 2. D. d. t.

In omnibus pactis obligatoriis nunquam præsumitur  
causa donationis, nisi exprimatur. l. 2. §. 5. D. de Dol. mal. & Met.  
except. l. 25. §. f. D. de probat. Wes. π. de pact. num. 5. circ. princ. ibiq;  
Bachov. lit. q.

8. Procurator non potest transigere l. 13. D. de Transact. l. 7. C. De Trans-  
eod. nisi habeat speciale mandatum. arg. l. 17. inf. de jurejur. l. 13. act.  
§. 1. D. de pact. l. 55. D. de procur.

Pater de bonis adventitiis filii. transigens, ejus consen-  
sum habere debet. arg. l. f. §. 3. 4. C. de Bon. que Lib.

*De Procur.*

9. In respondendo requiritur ut procurator habeat speciale mandatum. *l. 39. D. de Procur.*

Hodiè in judiciis Procurator non potest alium substituere, nisi potestas substituendi expressè ipsi à Domino fuerit concessa. *Carpz. proc. t. 5. art. 5. n. 6. Dn. Struv. Ex. 22. th. 4. in fin.*

*De Recept. Arbitr.*

10. Ad constituendum Arbitrum litigantium expressus consensus requiritur. *l. II. §. I. l. 19. pr. l. 27. §. ult. D. de Recept. Arbit.*

Compromissum non transit ad heredes, nisi heredum expressè facta mentio. *l. 27. §. I. l. 49. §. 2. D. de Recept. Arbit.*

Sententia, ab Arbitro, absentibus litigatoribus, dicta non valet, nisi in compromissis expressum sit, ut vel uno vel utroque absente sententia promatur. *l. 27. §. 4. D. d. r.*

*Naut.**Caup. Stab.*

11. Quamquam Nauta, statim, cum res in navem mittuntur de earum custodia teneatur, tamen expressè protestando ut nim. unusquisque vectorum res suas servet, neque damnum se præstaturum, sibi prospicere potest. *l. 7. pr. D. Naut. Caup. Stab. Dn. Struv. Exerc. 8. th. 117.*

*De Inoffic. Testam.*

12. Querela in officiosi testamenti jure novo, datur iis liberis, qui juxta formam in *Nov. 115. c. 3.* præscriptam, nimirum causâ nominatim insertâ, expressè sunt exheredati sed inique: quam causam heres probare debet *pr. l. hoc tit. l. 2. D. eod. l. 30. l. 33. Cod. eod. d. Nov. 115. c. 3.* quæ probatio olim exheredato incumberebat, sc. se obsequium debitum jugiter, pro ut ipsius naturæ religio flagitabat, adhibuisse. *l. 28. C. d. r.* causâ autem nominatim & expressè non inserta, vitiat exheredationem. *Wesemb. π. de inoff. Testam. n. 7. Dn. Struv. Ex. 10. th. 15. & ab eo allegati.*

Filius renunciando hereditati, non intelligitur renunciasse Legitimæ, ad quam requiritur expressa & specialis renunciatio. *l. 35. §. 2. C. de inoff. Testam.*

Donatio simplex non imputatur in Legitimam nisi hac lege vel conditione facta sit. *l. 35. C. eod. l. 25. D. eod.*

*Si ager Sect.*

13. In contractu Emphyteutico, non tacitus, sed, expressus contrahentium, requiritur consensus, quoniam in hoc contractu scriptura necessario requiritur. *l. 1. C. de jur. Emphyt.* ubi autem scriptura necessario requiritur, ibi tacitus consensus non sufficit. *l. 13. §. f. D. Loc. Cond.*

Sic

Sic ad alienationem Emphyteuseos tacitus Domini consensus non sufficit, si nimirum Dominus praesens sit & tacet, quamquam enim Tacens habeatur pro consentiente *l. 2. §. 2. D. Sol. Matr. l. 142. D. de R. I. l. 2. C. de Acqu. poss. l. 5. C. ad L. Vellei. C. J. A. de Commod. th. 3.* tamen id procedit tantum in favorabilibus *l. 1. §. penult. D. Naut. Caup. l. 18. D. Mandat. l. 9. in fin. C. d. t. l. 5. Cod. de Nupt. Menoch. de praesumpt. 3. 42. n. 11. & 24. Mascard. de probat. concl. 1158. n. 25.* taciturnitas enim potius pro eo qui tacet, quam contra eum capienda est, quia non praesumitur, quem ad suum detrimentum consentire voluisse *l. 8. §. 1. D. de Procur. l. 91. D. de Furt.* Sed expressè in alienationem consentire debet *l. 3. C. de jur. Emphyt.* tacitus enim consensus non sufficit, ubi sermo expressus requiritur *l. 29. de Adopt. & emanc. Nobiliss. Dn. D. Sachs/ Praeceptor ac Patronus meus summè ac devote colendus in Disput. de Consens. c. 2. th. 55. & c. 4. th. 136. & seqq.*

Emphyteuta Emphyteusin potest oppignerare, nisi aliud in contractu dictum. Si autem postea pereat jus debitoris, extinguitur etiam pignus *l. 8. D. Quib. mod. pign. vel hypoth. Solv. l. 31. D. de pign. & hypoth.*

Emphyteusis finito tempore, ex utriusque partis taciturnitate renovata non intelligitur *l. 1. C. de jur. Emphyt. Fach. 1. contr. c. 84.* secus in locatione Conductione, quae ex utriusque partis taciturnitate renovatur *l. 13. §. 14. D. Locat. l. 16. C. eod.*

14. Ususfructus non transit ad heredes, ne quidem expressè conventionione, praeterquam ad primum. *l. 14. C. de usufr. De Usufr.*

Ususfructus patri acquiritur in bonis filii adventitiis *l. 6. C. de bon. qua. li. nisi filiof. hanc conditione expressè adjecta donata vel relicta sunt, ut pater usumfr. non lucretur. Nov. 117. c. 1. pr.*

15. Servitutes praediales, quibus fortè in praedio vicino alieno, is qui distraxit est usus, non aliter praestare debet, quam si expressè dixerit. *l. 66. D. de Contrah. Empt. l. pen. D. de Evict. & Dupl. Stipul.* quia tunc ipsa quoque Servitus vendita est *l. 6. D. de Act. Empt. l. 73. D. de Evict. De Servit.*

16. Duplum in L. Aquiliae actione non est adjudicandum, nisi nominatim sit petatum. *l. 23. §. 10. D. Ad L. Aquil. l. 4. 5. C. eod. C. J. A. d. r. th. 14. Bocer. Class. 4. disp. 2. th. 40. Oldendorp. class. 6. Act. 12. n. 5. 7. Speculat. de Damn. dat. n. 2. De L. Aqu.*

17. Qui



*De Relig.  
& Sumpt.*

17. Eum qui funebres impensas facit & eas vult repetere, oportet testari, quo animo funeret, an animo pietatis, an repetendi, ne postea patiatur quaestionem. *l. 14. §. 7. 9. 13. D. de Religios. & Sumpt. fun.* aliquando etiam opus est, ut quis protestetur, ne videatur suspectam adiisse hereditatem. *l. 20. §. 1. D. de A. vel A. H.*

*De reb.  
cred.*

18. Creditor accipiens mutuam pecuniam regulariter non tenetur pecuniam in eadem specie, vel incerto genere solvere, nisi specialiter inter debitorem & creditorem conventum fuerit, ut certum genus seu species pecuniae restituatur, Wann Stück vor Stück / e.g. Reichsthaler in specie wider zu geben verschrieben. Münzordnung de Anno 1559. §. die ick gemeldten. Kitz. de jur. monet. class. 2. quest. 2. sect. 1. Carpz. p. 2. c. 29. def. 2. Dn. Struv. Exerc. 16. th. 27.

Si Lanx argentea, vel massa auri datur vendenda, & expressè convenerit, ut pecunia inde redacta sit credita, tunc mutuum celebratur. *l. 11. pr. de Reb. Cred.*

*De jurej.*

19. Juramentum Calumniae jure Civili neque expressè neque tacitè à Litigatoribus remitti potest. Non expressè; quia cum hoc non ob privatam sed publicam utilitatem sit introductum. *l. 2. §. 4. C. de jurejur. propt. Cal.* expresso sanè pacto remitti nequit. Non enim pactum valebit, quod ad publicam læsionem spectat. *l. 7. §. 24. in. f. l. 27. §. 4. D. de pact.* nam utilitas publica præferenda est privatorum contractibus. *l. 3. Cod. de primip. l. 12. t. 63.* Non etiam tacitè; quia etiam in tacito pacto jam dicta ratio obstat, & quia in *d. l. 2. d. §. in verbis collusione aliqua utentes.* & in verb. *disimulatione nostram sanctionem eludant.* apertè tacita remissio prohibetur. Secus jure pontificio, quo hoc juramentum tacitè non autem expressè remitti potest. *c. 1. §. 1. de juram. cal. in 6. sub. sup. et. cap. 10.*

Ut procurator possit in mandantis animam jurare necesse est, ut habeat speciale Mandatum, vel ut hæc clausula mandato expressè inferatur. *Setf. de juram. c. 14. Dn. Struv. Exerc. 17. th. 17.*

Nobilis controversia hic enotanda venit: An nimirum juramentum sine verbis præstari possit? Alii negant, ut *Brtl. in l. & per jusjurandum. D. de Accept. & in l. Qui jurasse. D. de jurejur.*

*jur.* Alber. Fulg. & Roman. *ad L. i. D. de V. O.* alii affirmant, ut Panormit. *in Rubr. de jurej.* Covarr. *in Rubr. de pact. in pr. sub n. 4.* Fach. 3. c. 8. alii distinguunt inter eos, qui loqui non possunt, & tunc verba necessariò non requiri, & inter eos qui loqui possunt, & tunc verba necessariò requiri. Et quamvis videatur, necessario verba non requiri, cum omne juramentum Deo præstetur, Deus autem est scrutator cordium, & novit hominum mentes, licet non loquantur. *c. si quid invenisti 6. causa 14. q. 5. c. Erubescant. 11. dist. 32.* tamen rectius mihi videtur, verba necessariò ad jusjurandum requiri, præsertim, cum versemur in quaestione & controversiis facti, quibus jus applicandum, quæ aliàs, nisi per juramentum decidi possant, judex enim vel pars, cui fides per juramentum est facienda, divinare non potest, an vel quidnam juratum sit, nisi verbis exprimatur, hæc certæ formulæ sunt præscriptæ, quas vide apud Bocer. *Cl. 6. D. 18. C. J. A. de jurejur. th. 14.*

20. Ut Condictio causa data locum habeat, requiritur, ut rursus quid detur aut fiat *l. 52. D. de Cond. indeb. & causam, ob qua* *De Condit. caus. dat. caus.* fuisse expressam, non animo retentam, necesse est. *l. 7. C. de Cond. caus. dat. caus. C. J. A. h. t. th. 4.* propositum enim in mente retentum nihil operatur *l. 25. 34. C. de Transact. Wesenb. de pact. num. 8. circ. fin.*

21. Qui ex errore Conditioni indebiti expressè renunciat, nihil ominus ob errorem agere potest. *l. fin. §. 3. D. de Condit. indeb. l. 13. C. de Solut.* nisi ex verbis renunciationis donandi animus expressè sit declaratus. vid. Gothofr. *in not. ad §. 3. lit. e.*

22. Sicuti in omnibus aliis contractibus ita etiam & maxime in commodato dolus venit præstandus, nec valet conventio, ne dolus præstetur *l. 5. §. 2. D. Commod.* Circa culpæ autem præstationem tenendum: quod contractus celebrantur, vel solius dantis gratiâ, & dolus solùm & lata culpa venit præstanda. *d. l. 5. §. 2. D. Commod. l. 23. de R. I. excip. Mandatum dict. l. 23. D. de R. I. Negotiorum gestio. §. 1. l. de oblig. que ex qf. Contr. Tutelæ & Curæ administratio. d. l. 23. D. de R. I. vel accipientis solùm gratiâ, & tenetur de levissima culpa. d. l. 5. §. 2. D. Commod. vel utriusq; contrahentis gratiâ, & sibi invicem levem præstant culpam. d. l. 5. §. 2.*

§.2. *D.d.t.* Atque hæ præstationes culpæ se habent de natura cuiusque contractus, nisi si quid nominatim convenit. *d. l. 23. D. de R.I.* contractus enim ex conventionem Legem accipiunt. *l. 1. §. 16. D. de pact.* unde & pactum inter partes initum, Lex privata dicitur. *l. 10. C. de pact.* Conveniri igitur potest, ut vel minus vel plus præstetur. *Dn. Struv. Exerc. 19. th. 41.* videatur omninò Magnific. *Dn. D. Rebhan. Facult. Jurid. Senior, Præceptor, Patronus ac Promotor meus piè Colendus in Hodog. jur. p. 571. & seqq.*

Casus vero fortuitus non est præstandus, nisi ita inter contrahentes placuerit. *l. 6. C. de pignorat. act. l. 7. §. 15. D. de pact. l. 39. D. Mand. l. 1. C. Commod. l. 9. §. 2. l. 13. §. 5. Locat. except. vid. apud Dn. Struv. d. Exerc. 19. th. 43.*

*De Pecul.* 23. Emancipatum filium sequitur peculium profectitium, nisi nominatim pater ademerit. *l. 31 §. 2. D. de donat. l. 17. C. eod. add. l. 3. §. 4. D. de Minor.*

*Mand. Sel Contr.* 24. Nemo obligatur ex causa Mandati, nisi expressè in hoc consentiat. *l. 8. §. 1. D. de Procur. Bachov. ad Wesenbec. π. de Pact. num. 3. lit. n. in fin.*

Qui procuratori mandat, ut ab actoribus suis mutuam pecuniam acciperet, non habet actionem Mandati adversus procuratorem: quia de mutua pecunia eum habet obligatum, & ideo usuras petere non potest, quasi ex causa mandati, nisi in stipulationem sunt deductæ. *l. 10. §. 4. D. Mand. l. 8. D. eod.*

*Pro Socio.* 25. Societas universorum bonorum tacitè contrahi non potest, nullos enim nisi mutos ita omnes res conferre existimandos, ut nihil loquantur, monet *Bachov. ad Treutl. 1. D. 27. th. 8. lit. F. l. 3. 73. D. pro Soc.*

Si in Societate nihil de partibus lucri & damni nominatim convenerit, æquales in lucro & damno partes spectantur. *§. 1. l. de Societ. l. 29. pr. D. eod. & ita lex tacitè partes colligit, quæ expressæ à contrahentibus non sunt. Gothofr. ad d. l. 29. pr. lit. b.*

Contracta Societate, in quam alter pecuniam, alter operam & industriam confert, pecunia non videtur esse communis effecta, neque finita Societate dividenda. *arg. l. 52. §. 2. vers. Si in coeunda. D. pro Soc. §. 2. l. eod. Fach. 2. contr. c. 94. Dn. Struv. Ex. 22. thes. 33.*

26. Dominium rei venditæ & traditæ non transfertur in Emptorem, nisi pretium sit solutum, vel fides expresse de pretio sit habita. §. 42. *I. de Rer. Div. l. 19. §. 3. l. 8. §. pen. D. de tribut. Act.*

27. Qui nomen distraxit, locupletem esse debitorem non præstat, sed tantum debitorem esse, nisi aliud expresse conventum fuerit. *l. 4. §. D. de hered. vel Act. vend.*

28. Si vinum venditum acuerit, vel aliud vitii sustinuerit, Emptoris erit damnum, nisi venditor se periculo subjecit. *l. 1. pr. D. de Peric. & Commod. Rei vend.*

Non licet venditori vinum effundere, prius quam expresse testando denunciaret emptori, ut tollat vinum, aut sciat futurum, ut vinum effunderetur. *d. l. 1. §. 3. d. t.*

29. Res illata & invecata in Prædium conductum Urbanum, tacite pro mercede pignori sunt obligata. *l. 4. D. de pact. l. 2. 4. 6. 7. §. 1. D. in Quib. caus. pign. t. C. l. 32. D. in fin. de Pign. & hypoth.* In prædio vero rustico ita juris est, ut fructus, qui ibi nascuntur, tacite sint obligati. *d. l. 7. D. d. t.* Illata vero & invecata ibi non, nisi expresse pignori subsunt. *d. l. 7. junct. l. 5. C. eod.*

Tempus quo Merces exsolvenda sit, id quod inter Contractantes convenit spectandum. *l. 34. D. de R. I. l. 54. §. 1. D. Locat. Conduct. l. 1. §. si pensio. D. de Migr. l. 1. §. si convenit. D. de pos. l. 42. D. de V. O. hoc vero deficiente, mos regionis attendendus venit. d. l. 34. D. de R. I. l. 8. 18. D. Loc. Cond. At si nec inde certo constat, dist. utrum certo tempore usus Locatus sit, ubi definito tempore locationis exsolvenda; tum quia dies semper pro debitore adjicitur. *l. 42. D. de V. O. §. omnis. I. eod.* tum quia Locator ante tempus locationis prædefinitum, contractum ex sua parte non implevit, *arg. l. 13. §. 8. D. de Act. Empt.* Sin vero in singulos annos locatus sit usus, tunc in fine anni numeranda est merces. *l. 1. §. 4. D. de Migr. Berlich. part. 2. conclus. 35. 36. vid. Cujac. 8. ad Affric. in l. 9. D. Qui pot. in pign.**

30. Creditore consentiente alienationi pignoris. *l. 4. §. 1. l. 8. §. 6. D. de pign. & hypoth. aut novæ obligationi. l. 21. D. Quib. mod. tacite pign. solv. tacite pignus solvitur, nisi expresse addiderit, se ita consentire, ut salva sibi maneat pignoris causa. d. l. 4. §. 1. D. d. t.*

Non autem videtur Creditor consensisse, si sciente eo debitor rem vendiderit, cum ideo passus est venire, quod sciebat, ubique pignus sibi durare, nisi subscripserit in tabulis emptio- nis. *l. 8. §. 15. D. Q. m. p. vel hyp. f.*

Si tamen publico programmate admonitus tacuerit, vide- tur consensisse, & amittit jus pignoris. *l. 6. §. C. de Remiss. pign.*

*De Aedil.  
Edict.*

31. Venditor ex Edicto Aedilium de animi vitiis non te- netur, nisi id praestitutum promisit. *l. 4. §. 3. D. de Aedil. Edict.*

*De Evict.*

32. Venditor regulariter Emptori tenetur de Evictione, nisi ei expressè sit remissa. *l. 11. §. f. D. de Act. Empt.*

*De Usur.  
& fruct.*

33. Circa usuras distingu. inter contractus b. f. & stricti juris; in illis usurae, ut vocant, punitoriae, ex mora debentur, et si de his specialiter non sit conventum. *l. 32. §. 2. D. de usur. C. J. A. de R. C. th. 1.* In his non aliter debentur, nisi sint promissae. *l. 3. Cod. eod. l. 38. §. 7. C. de usur. l. 1. Cod. de Cond. Indeb. Dn. Struv. Exerc. 27. thes. 45.*

Fructuum sive perceptorum sive percipiendorum, ante li- tem contestatam, in condemnando rationem iudex non habet, nisi isti specialiter petantur. *l. 10. D. de usur. Dn. Struv. Ex. 11. th. 25.*

*De Fide In-  
strum.*

34. Ad Instrumenta, quae à Notariis conficiuntur, certa quaedam solennia requiruntur; ut sunt. (1.) Nominis Divini in- vocatio. (2.) Annus nostrae salutis. (3.) Designatio anni Imperii regnantis Imperatoris. (4.) Indictio. (5.) Tempus. (6.) Locus. (7.) Series facti ac negotii. (8.) Testes, eorundem omnium de- scriptio. (9.) ut Notarius se ad confectionem rogatum scribat. (10.) ut Notarius signum subjiciat atque subscribat. Reichs Ab- schied de anno 1512. §. Und nach dem C. J. A. de fide instrum. quae si non ad amissim observantur, totum Instrumentum vitiatur. *c. 22. Ex. de Rescript. Gail. 2. obs. 65. n. 5.*

Mercatorum Libri faciunt semiplenam probationem, modo ejusmodi libri contineant data & accepta, cum adscri- ptione dierum, & expressa causa debendi. *l. 82. D. de Cond. & Demonstr. l. 25. §. f. D. de probat.*

*De Spons.  
& Nupt.*

35. In Contrahendis Nuptiis, non solum contrahenti- um expressus requiritur consensus. *c. 25. Ex. de Sponsal.* Sed et- iam eorum quorum in potestate sunt. Nam hoc fieri debere, &

& Civilis & Naturalis ratio suadet in tantum, ut iustus parentis præcedere debeat. *pr. I. de Nupt. ne sc. invito avo ex filiof. suus heres agnascatur. §. 7. I. de Adopt. & Honor & reverentia parentibus à liberis debita, exhibeatur. l. 2. D. de Inst. & Iur.*

Hæc ratio Civilis cum cessat in filiabus, parentis patientia pro consensu est, ne igitur videatur Sponsalibus filia consensisse, evidenter dissentire debet. *l. 7. §. 1. D. de Spons. Quod idem dicendum de filiâ. l. 12. D. eod. Wesenb. h. t. n. 4.*

Si res æstimatæ in dotem dantur & expressè convenerit, ut soluto matrimonio res æstimata reddatur, inter dantem & accipientem non contrahitur Emptio venditio. *l. ult. D. de pact. dot. l. 21. C. de jur. Dot. quia contra venditionis naturam est, rem restitui. l. 13. §. 20. D. de A. E. l. 1. 6. 13. in f. C. eod. l. 8. Cod. de Contr. Empt. l. 12. C. de R. V. C. J. A. de jur. Dot. th. 8. secus si expressè non convenerit, quia tunc vera contrahitur Emptio venditio, in dubio enim id semper agi videtur, & ut emptio venditio contrahatur, & ut æstimatio si ve rei pretium sit in dote. l. 1. §. 9. l. 10. §. 4. 5. l. 16. D. de jur. Dot. C. J. A. d. th.*

Bona paraphernalia marito tradita non fiunt dotalia, nisi expressè hoc actum sit, licet fructus eorum maritus lucretur. *l. 9 §. f. D. de Iur. Dot. Wesenb. π. h. t. n. ult. in fin.*

Filia si de dote pacta, ut noceat, ipsi quandoque agenti filia nocebit pactum, patre nullo modo nocebit, nisi adjecta quoque filia persona experiatur. *l. 7. de pact. dotal.*

Si pater agat de dote, filia ne videatur consensisse in actionem, evidenter voluntati patris contradicere debet. *l. 2. §. 2. D. Solut. Marr.*

Dos adventitia, si ille qui dedit, non expressè sibi reddi stipulatus aut pactus fuerit, Solutio matrimonio, à parte mulieris, aut ejus morte, aut divortio: priori casu, pertinet ad ejus heredes. *l. un. §. 6. 13. C. de R. V. A. posteriori casu, marito relinquatur. l. 24. C. de Iur. Dot.*

Donatio inter V & U. excedens quingentos aureos, morte donantis non confirmatur, nisi expressa contestatione & in actis insinuatione, sit stabilita. *l. 25. C. de D. I. V. & U.*

36. Si Tutor præsens sit, auctor tacendo esse non potest, *De Tuteli.*

sed ejus auctoritas expressè & purè ad negotium, quod à pupillo geritur intervenire debet. *l. 8. D. de Tutel.* requiritur enim non tantum ejus præsentia. §. 2. *I. de Author. & Conf. tut.* sed etiam approbatio & consensus, & quidem statim in ipso negotio. *l. 9. §. 5. D. d. 2. l. 25. §. 4. D. de Acquir. vel omitt. Hered.* nam planè non potest dici intervenisse, qui tacet, dicitur enim tutoris auctoritas expressa probatio ejus, quod geritur. *Treutl. vol. 2. D. 8. th. 6. lit. E.* hinc dicere debet, se probare quod agitur. *l. 3. D. de Tutel.*

*De Testam.*

37. Institutio heredum debet fieri verbis despositivis & expressis: Neque enim liberi in conditione positi censentur in dispositione. e. g. Ego Lucium filium meum heredem instituo, & si sine Liberis decesserit, Sempronium substituo, hoc casu liberi Lucii non sunt in dispositione, quia non fuerunt patri substituti, sed tantum positi in conditione, & ideo censentur præteriti. *l. 8. D. Si quis omiss. caus. l. 1. §. 8. D. Ad L. Falcid. l. 16. in fin. D. de vulg. & pup. Subst. l. 1. C. de pact. l. 17. §. 5. D. Ad Sc. tm. Trebell. l. 114. §. 13. D. de Legat. 3. Hænon. Controv. Disp. 8. th. 7. Gail. 2. obs. 136. n. 18. Forst. I. lib. 2. Disp. 12. th. 16. Bachov. D. 11. thes. 1. lit. G. Wiefenbach. D. 55. th. 4. Dn. Struv. Exerc. 32. thes. 31. Diff. Coraf. 2. Miscell. 19. Forcatul. in dial. 50. & 51. Fachin. 4. c. 51.*

Conditio institutioni adjecta, non censetur repetita in substitutione, nisi ea expressè sit repetita. *l. 73. D. de Hered. inst. Secus in Legatis l. 77. D. de Condit. & Demonst. l. 108. D. eod. l. 18. D. de Cond. Inst. l. 83. in fin. D. de Legat. 2.*

Si filius testamentum fecerit, & postea sui juris factus decesserit, quia ab initio ipso jure nullum, tacitè confirmari non potuit. *l. 1. §. 8. D. de B. P. secund. tab. expressè potuit, l. 11. §. 2. D. de B. P. S. T. vid. Gothofr. ad l. 11. C. Qui testam. fac. poss. lit. x.*

*De Legatis  
& Fideic.*

38. Legatis omnibus mobilibus, nomina debitorum non continentur, nisi testator expressè dixerit. *l. 86. pr. de Legat. 2.*

Sic bona Legata certo loco contenta, actiones & jura, quorum instrumenta ibi continentur, non censentur Legata. *d. l. 86. pr. D. d. t. l. 41. §. 6. D. de Legat. 3. Arius Pinell. de Bon. mat. p. 1. num. 10.*

Si omnes, quibus fideicommissum relictum est, ad ejus distractionem consentiant, fideicommissum amittitur. *l. 120. §. 1. de Le-*

*de Legat. l. l. ii. C. de Fideic. nisi expressè eâ mente alienationi consentiant, ut pretium fideicommissi consequantur. l. 38. §. 14. D. de Legat. 2.*

Si Titio fundum, Mœvio ejusdem fundi usumfr. Testator Legaverit, nec expressè addiderit, se deducto usufructu Titio fundum legare, usus fructus inter eos communicabitur. *l. 19. D. de usufr. Legat. Lapsus enim fuit testator errore, nam appellatione fundi, plena proprietates continetur. d. l. 19. D. d. t.*

Si maritus uxori dotem Legaverit, cum nullam acceperit, inutile est Legatum. Sin autem certa quantitas vel certum corpus in Legato dotis expresserit, validum est Legatum, etiamsi nihil in dotem datum sit. *§. 15. l. de Legat. l. 6. §. 1. l. 8. D. de dot. prælegat. l. 1. 2. 3. C. de Fals. caus. adj. Wefenb. π. de Dot. præleg. num. 2.*

Vino ad certam quantitatem Legato, etsi Testator nullum reliquerit, heres tenetur emere, & Legatum præstare. *l. 3. D. de Tritic. vin. ol. Legat. Secus si quantitas non est expressa.*

Si quis in genere leget fundum instructum, deinde adjiciat, cû suppellectili, mancipiis &c. Legatū per hoc non censetur restrictum. *l. 12. §. 46. D. de Instr. vel Instr. Leg. l. 6. D. de Supell. Legat. Secus si Servos aliquot nominasset suis nominibus, tunc enim tantum nominati debentur l. 18. §. 11. D. de Instr. vel Instr. Legat.*

Servo Legato, peculium, nisi expressè legetur, non videtur relictum, quamvis si vivus manumiserit, sufficit, si non adimatur. *§. 20. vers. peculium. l. de Legat. l. 24. D. de pecul. Legat. Wefenb. π. d. t.*

Si quis Servo vel filio peculium velit prælegare, ne deducatur id, quod sibi debetur, specialiter ea, quæ in peculio erunt, Leganda sunt. *l. 10. D. de pecul. Legat.*

Sub legato alimentorum & cibariorum, non comprehenduntur sumptus studiorum, nisi testator id voluerit. *l. 6. 7. D. de Alim. & Cibar. Legat.*

Si quantitas, Legatis alimentis, non est expressa, quod solitum est fieri, præstandum. *l. 22. D. d. t.*

Si creditor leget debitori pignus, debitum non censetur remissum. *l. 1. §. 1. de Liberat. Legat.*

Libe-

Liberatione ab actione Negot. G. Legata, dolus remissus non censetur, nisi expressè testator hoc dixerit. *l.8. §.6. l.9. l.20. D. de Liberat. Legat.*

*De Adim. Legat.* Si Testator à Legatario fideicommissum Mævio præstari voluerit, revocato dein fideicommissò, Legatum non videtur revocatum. *arg. l.17. D. de Legat. 2. l.60. D. eod. Bachov. h. t. th. 4. in f. Dn. Struv. Exerc. 35. th. 81. Dn. Less. in Diss. Inaugur. de Tacito. th. 37.*

*Ad Leg. Falcid.*

39. Falcidiæ detractio, non censetur prohibita, si testator jussit, omnia, tota integra, sine deminutione, Legata præstari. *Zæf. h. t. n. 30. Carpz. 3. cap. 1. def. 13. & 6. 30. Dn. Struv. Exerc. 36. th. 6. nisi expressè detractionem prohibuerit. Nov. 1. c. 2. §. 2. Auth. Sed cum Testator. Cod. ad L. Falcid. Treutl. vol. 2. disput. 14. th. 5. lit. b.*

Sic etiam Trebellianica non intelligitur prohibita à Testatore, licet totam hereditatem jussit restitui. *arg. l. 1. §. 19. l. 45. §. 2. D. ad Sctum Trebell. Grass. in §. Trebellianica. quest. 8. n. 6. nisi expressis verbis fiat. arg. Nov. 1. cap. 2. §. 2. in f. junct. l. 3. §. 1. D. ad Sctum Trebell. §. 5. 1. de Fideic. hered. Gail. 2. obs. 138. n. 15. & 17. Wiefenb. h. t. th. 14. Treutl. vol. 2. D. 14. th. 10.*

Fructus post aditam hereditatem non veniunt in fideic. hereditatis restitutionem, etiamsi dixerit testator, omnia bona mea restituas, seu quicquid ex hereditate bonisve meis ad te pervenerit. *l. 57. pr. l. 88. §. penult. D. ad Sctum Trebell. l. 83. de Legat. 3. nisi quis specialiter fuit rogatus, & fructus restituere. l. 18. pr. §. 2. l. 44. §. 1. vers. Sane pro fructu. l. 63. §. 4. l. 27. §. 1. D. ad Sctum Trebell.*

*De Dot. Collat.*

40. Dos regulariter à filia est conferenda, nisi collatio à parente expressim sit prohibita. *Nov. 18. c. 6. Hahn. ad Wiefenb. de Collat. bon. C. J. A. d. t. th. 2. n. 2. Dn. Struv. Exerc. 37. th. 41.*

*De Oper. Libert.*

41. Libertus operas Patrono, non nisi promissas debet. *l. 2. pr. D. de oper. Libert.*

*De Assign. Libert.*

42. Patronatus jus, etiam liberis patronorum competit, & quidem omnibus, nisi pater uni libertum specialiter assignaverit. *l. 1. de Assign. libert. pr. 1. de Assign. libert. l. 107. D. de R. I.*

*De Mort. Caus. Don.*

43. Donatio mortis causa in genere scil. ob quemvis mortis evenum facta, licet interveniat adversa valetudo, & ab ea, quis

ea, quis reconvalescat, tamen secuta postea ex alio morbo morte, nisi ante expressè revocata sit, valet. *arg. l. 2. de Mort. causa. donat. l. 35. §. 3. 4. junct. l. 30. D. eod.*

44. Per procuratorem possessionem posse nobis acquiri notissimi juris est, si tamen tradens simpliciter, scil. non expresso eo, cui velit traditum, procuratori tradat, & hic suo nomine accipiat, non domino sed ipsi procuratori acquiritur possessio. *l. 1. §. 20. D. de A. vel A. poss.* *De Acquir. Poss.*

Sequester non possidet, nisi expressè hoc actum sit, multum enim interest, qua mente res apud sequestrum deponitur, nam si omittendæ possessionis causa, ad usucapionem possessio ejus victori non procedit; si vero custodiæ causa deponatur, ad usucapionem eam possessionem victori procedere constat. *l. 39. de Acquir. vel Amitt. poss. l. 17. §. 1. D. de pos. vid. Bicc. in Aur. Sect. 4. th. 45. lit. W. C. J. A. lib. 41. t. 2. th. 8. n. 16. hunc textum l. 17. §. 1. emendans. vid. Treutl. vol. 2. D. 21. th. 4. lit. f. Diss. variè variè. videtur tamen de hac quæstione Magnif. Dn. D. Deckherr, Præceptor, Patronus ac Promotor meus parentis instar colendus, in tract. de possess. Credit. in Pign. Disp. 3. th. 145.*

45. Si plures in una Sententia fuerint condemnati, non quilibet in solidum, sed pro virili tantum parte ex causa judicati conveniri potest. *l. 43. D. de Re judic. l. 2. Cod. si plur. un. Sent. Condemn. nisi plures expressè in solidum condemnati. l. 1. C. d. t.* *De Re Jud.*

Sententiam Romæ dictam etiam in provinciis posse præfides, si hoc jussi fuerint, ad finem persequi. *l. 15. §. 1. D. de Re jud.*

46. Precarium neque expressè neque tacitè ad certum tempus constitui potest, & quamvis in *l. 4. §. fin. & l. 5. D. de precario. de precario ad tempus rogato, ejusdemque expressâ & tacita prorogatione agatur; tamen sciendum illud tantum ibidem dici, precarium quidem ad tempus rogari posse, sed illam rogationem nullius esse effectus, neque efficere, ut precarium ita concessum, necessariò ad tempus destinatum invito etiam & nolente Domino, perduret. Bicc. in Aur. Sect. 4. thes. 39. lit. t. Hillig. ad Donell. lib. 14. c. 34. in not. lit. A. in f. vid. t. 2. §. 1. de dol.* *De Precario.*

47. Duo rei promittendi in solidum non tenentur, nisi nominatim dictum sit, in solidum singulos teneri. *Nov. 99. pr. Bicc. in Aur. Sect. 4. th. 59. lit. G. vid. Struv. Ex. 47. th. 27.* *De Fidej.*

De duobus  
reis promit.

48. Fidejussor in duriores causam, quam reus principalis se obligare non potest. §. 5. I. de Fidejuss. l. 8. §. 7. l. 34. D. eod. l. 42. eod. efficacius tamen se obligare potest. l. 51. §. 3. l. 63. D. d. t. l. 3. §. ult. de Administr. rer. ad Civit. pert. Wesehb. h. t. n. 5. in med. Treutl. 2. 28. th. 4. & in brevius tempus, puta: Si fidejubeat ad certum tempus & expressè adjiciat, se post illud tempus obligari amplius nolle, fidejussionis enim effectus, ultra verba ipsius expressa, non extenditur. arg. l. 27. C. de fidej. Gail. 2. observ. 30. n. 12. Mynf. 6. obs. 53. n. 4. Quid autem hoc casu obrineat de jure Sax. videatur Const. Elect. August. p. 2. c. 19. §. also auch.

Non levis est controversia, An fidejussore in majorem summam obligato, subsistat fidejussio saltem pro parte concurrente? Negat hoc Wesehb. h. t. n. 5. Fachin. 8. c. 51. Wiesehb. h. t. Affirmat. Treutl. vol. 2. D. 28. th. 4. lit. b. Mynf. ad §. 5. I. de Fidej. Valsq. illust. contr. c. 7. n. 5. Gothofr. ad l. 8. §. 7. D. h. t. Quibus & ego adstipulor.

Ut minus debeat fidejussor, obligari potest, quia naturale separabile est hujus contractus accessorii, ut ad omne id obligetur fidejussor, quod tempore fidejussionis est in obligatione principali. §. 5. I. h. t. l. 34. 42. D. eod.

Fidejussor ad usuras non tenetur, si non in genere ad omnem causam, sed tantum ad fortem vel ad certam summam se obligavit. l. 68. §. 1. h. l. 22. C. eod. C. J. A. h. t. th. 14. num. 12. Dn. Struv. Exerc. 47. th. 42.

De Dele-  
gat.

49. Sicuti novatio, vid. proemium, ita etiam delegatio non nisi verbis expressis perficitur. l. ult. Cod. de Novat. verb. vel aliam personam adhibuerit, Dn. Carpzov. p. 2. c. 19. 16. Dn. Struv. d. Ex. 47. th. 63.

Judicatum  
solvi.

50. Si quis judicatum solvi promiserit, interpositâ dein appellatione, & defensore condemnato, non liberabitur fidejussor, nisi nominatim vel expressè, de eo, quod Sempronius Judex judicaturus, fidejusserit. l. 3. l. 20. D. judic. solv. l. 30. Cod. de procur. l. 76. D. de jud. Dn. Struv. Ex. 47. th. 109.

De Furt.

51. Si quis, cum sciret, quid sibi subripi, & non prohibuit, nihilominus furti agere potest, neque videtur tacitè consensisse in subtractionem l. 91. D. de furt. nam taciturnitas ad alterius delinquentis excusationem pro consensu non habetur. Gothofr. ad d. l. 19. lit. h.

52. Si

52. Si quis injuriam passus non statim ad animum revocaverit, tacite renunciassè actioni injuriarum videtur. §. f. l. de Injur. l. ii. §. i. D. eod. Dn. Struv. Exerc. 58 th. 63. *De Injuriis.*

53. Sententiam passus & restitutus bona sua confiscata non recuperat, nisi expressè princeps hoc voluerit Anton. Peregri. de jur. Fisc. lib. 5. tit. 2. n. 67. Bart. in l. Quaecunq. C. de Fide instrum. restitutio enim facta in genere, strictè debet accipi, quod magis remissa videatur esse pœna, quam restitutio secundùm omnia. l. i. 2. D. de Sent. pass. & restit. Dn. Struv. Ex 49. th. III. *Sent. pass. & repit.*

54. Unius appellatio pro fit litis consortibus. l. i. 2. C. Si un. ex plur. modo una eademque defensionis causa fit. l. 10. §. 4. D. de Appell. nisi quorundam nomina tantum in libello appellationis sint comprehensa, nam tunc hi soli videbuntur appellasse. l. 3. §. 2. D. de Appellat. *De Appell.*

55. Beneficia Civibus concessa, competunt etiam illis, qui pro Civibus habentur, nisi aliter statuto receptum sit, ut nemo admittatur ad tale officium, nisi sit Civis originarius, quia tunc assumptus Civis, non admittitur ad hujusmodi officium, nisi fiat assumptio cum clausula expressa, quod assumptus pro originario quoad omnia habendus sit. Gail. 2. obs. 35. num. 6. *Ad Muni. cip.*

56. Immunitas personæ data, non transit ad heredem, nisi familiæ detur, tunc enim perpetuo durat. l. 3. §. 6. D. de Mun. l. 4. D. jur. immunit. excluduntur tamen nati ex fœminis. l. i. §. f. D. d. t. C. J. A. h. t. th. 4. *De Iure Immunit.*

Sed tantùm hæctenus pro ratione temporis & instituti.

Tibi verò ô æterne & misericors Deus, sit laus, honor, & Gloria in sempiterna secula.

F I N I S.






*Ad Clarissimum Dn. Candidatum*  
**CHRISTIANUM BREUNING**

**S**acra Minerva suos ut gaudet habere Patronos  
Sic neque desistit claris cumulare triumphis.  
Quos sibi Cultores observat adesse fideles.  
Hinc BREUNINGE Tibi nunc laus expressa paratur,  
Quam sudore tuo vigiliq; ardore parasti.  
Inseret alma Themis nomen fulgentibus astris;  
Ut vivas Juris doctus Consultus, & alma  
Justitiæ Cultor, sis felicissimus, opto.

Gratulab. scripsit

**Fridericus Deckherr. D.**  
Pand. Prof. Ordin.



Acclamatio Votiva,

*Qua*

*Præ-Cellenti, Nobilissimo, Clarissimoq; Viro-Juveni*  
**DN. CHRISTIANO BREUNING,**  
Fautori & Amico ætatem devenerando,  
Pro Summis in Utroq; Jure Honoribus & Privi-  
legiis Doctoralibus ritè legitimequè consequendis  
Disputaturo

**S**ic decet ad summas rapido contendere cursu  
Laudes, sic cultæ egregium decus addere menti

Conve-

...☿☽♃...

Convenit, & decorare caput, cerebrumque polire;  
Quem tenet haud fictæ prædulcis *Gloria* famæ:  
Hic labor, hoc opus est, quis enim non Laudibus illud  
Efferat? atque Tuos quis non *Breuninge* labores  
Concelebret? solus dum masculè scandis in altum  
*Parnassi* (Montis) solvendo *Præsidi* *DIO*  
Præclare *Gemini* tenebrofa *Ænigmata* *Juris*.


Hinc Te foelicem, bis terque quaterque beatum  
Decanto: Incertos cùm non deposcis honores:  
Talibus en *Famam* factis modo tollis in astra;  
Ecce Tuum *Nomen* per plurima *Secla* virescet;  
Sic Capies magnos fructus, Laudemque perennem,  
Quæ dare non poterunt rigidi *Certamina* *Martis*:  
Frugibus his utinam! tanto uti tempore posses  
Quî vovet ex imis Cordis Tibi *Charus Amicus*!

*Pyladeo ex Affectu reciprocè gratulatur*  
*Suus ex asse devinctus*

J. N. M. Jctus.



**D**ifficiles sequitur merces quaesita, labores,  
Pulchraque conatus premia parta manent.  
Flucti vaginante sulcantes flumina cursu,  
Premia solliciti digna laboris habent.  
Objicit hostili fortissima pectora ferro  
Miles, tunc victor premia *Martis* habet.  
Sic etiam docti *Musarum* castra sequentes,  
Gratam ex conscenso palmam *Helicone* ferunt.  
Quæ

  
*Quæ tibi nunc etiam multo sudore parata est,  
Hanc ut longævum non sine laude geras  
Aspiret Numen clemens, conatibus adstet  
Cæptis, inde tibi commoda quæq; fluent.*

*Ita animitus gratulabatur*  
**Sigismundus von Sankisch.**  
LL. St. Sittâ Lusat.

---

**S**ic finem tangis, TE jam Doctoris honore  
Ornabunt Musæ, digna brabea capis.

*Ita Clariss. Dn. Doctorando Amico ac consalino suo honoratissimo,  
de summis honoribus in M. I. capeffendis ex animo  
gratulatur*

**Aegidius Friedell/ Sonnenb. Franc.**

---


ANAGRAMMATISMUS,  
**CHRISTIANUS BREUNING.**

EN SURGAS! HIC TRIBUNI.

**H**æc est alba dies, albo signanda lapillo  
Quâ TE certantem laurea ferta manent.  
EN SURGAS! certas, HIC convenere TRIBUNI  
(non nisi certanti pulchra Corona datur)  
Assignent TIBI, quæ Virgo Pimplæa remisit  
Præmia, læteris, Mœror abesto procul.  
Apprecor ergo TIBI gaudendo quô sine fine  
Vireat & vigeat, Gloria, Nomen, Honor.

*exiguis hisce Clariss. Dn. Doctorando, Fautori suo deve-  
nerando, gratulabatur*

**Tobias Heinicke/ Altenb. Misn.**



00 A 6455


ULB Halle  
002 929 236


3



W17







.zi.  
F. N. D. N. F. C.  
DISPUTATIO INAUGURALIS  
JURIDICA  
De  
**EXPRESSO**  
QUAM  
SACRO-SANCTA TRINITATE  
AUXILIANTE ET PRÆSIDE  
EX  
AUCTORITATE ET DECRETO  
MAGNIFICAE, NOBILIS-  
SIMAE AMPLISSIMAEQUE, IN  
INCLYTA ARGENTORATENSIVM  
UNIVERSITATE FACULTATIS  
JURIDICÆ.  
Pro  
Summis in utroque Jure Honoribus ac privilegiis  
DOCTORALIBUS, ritè ac Legitimè con-  
sequendis.  
*Publica ac Solenni Eruditorum censura*  
*submittit*  
CHRISTIANUS Breuning S.  
Die 11. Mens. Maij  
ARGENTORATI,  
Literis Joannis Friderici Spoor.  
Anno M DC. LXV.

b21

